

EPISTOLARUM  
AD ATTICUM  
LIBER XII.  
CICERO ATTICO SAL.

I. **U**NDECIMO die postquam a te discesseram, hoc literularum exaravi, egrediens e villa ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano; ibi unum diem. V. Kalendas igitur ad constitutum: itaque utinam continuo ad complexum meam Tulliam, ad osculum Atticæ possim currere. Quod quidem ipsum scribe quæso ad me; ut, dum consisto in Tusculano, sciam quid garriat: sin rusticator, quid scribar ad te: eique interea aut scribes salutem, aut nuntiabis, itemque Piliæ: & tamen, etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis.

Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius: qua lecta, de Atticæ febricula scilicet valde dolui. Reliqua quæ expectabam, ex tuis literis cognovi omnia. Sed quod scribis igniculum matutinum; <sup>2</sup> *γεροντικώτερον* est memoriola vacillare. Ego enim iv Kal. Axio dederam, tibi iii, Quinto quo die venissem, id est v Kal. Hoc igitur habebis: novi nihil. Quid ergo opus erat epistola? Quid, cum coram sumus, & garrimus quidquid in

buc-

<sup>1</sup> Ad constitutum ] Ad constitutum locum & tempus. Grevius.

<sup>2</sup> *Γεροντικώτερον* est ] Magis senile, magis quasi proprium senum. Corrad. Atticum objecisse Ciceroni *γεροντικώ* esse igne matutino uti hoc tempore, apparet ex verbis paulo post subjectis. Hoc igitur habebis. Quo signi-

ficat se, ut illum repungat, *γεροντικώτερον* aliquid ei exprobrasse, memoriæ scilicet vacillationem. Nam hoc igitur habebis est, hoc tibi repositum sit, qui mihi vitio verisimili *γεροντικώ* illud, quod ignem matutinum me desiderare scripserim ad literas exarandas. Græv.

buccam? Est profecto quiddam <sup>3</sup> *λέσχῃ*, quæ habet, etiam si nihil subest, colloctione ipsa suavitatem.

<sup>3</sup> *Λέσχῃ* ] *Confabulatio, colloquium.* Restitici persona fingit: Quid oportuit mittere ponder ei objectioni, quam ipse sibi ex Atticæ literas? *Malaspina.*

CICERO ATTICO SAL.

II. **H**IC rumor est <sup>1</sup> tamen <sup>2</sup> Murcum periisse naufragio, <sup>3</sup> Asinium delatum vivum in manus militum, quinquaginta naves delatas in Uticam restatu hoc, Pompejum non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, ut Patricus affirmat. Sed auctor nullius rei quisquam. Habes quæ, dum tu abes, locuti sunt. Ludi interea Præneste. Ibi Hirtius, <sup>4</sup> isti omnes: & quidem ludi dies octo. Quæ cenæ? quæ delicia? Res interea fortasse <sup>5</sup> transacta est. O miros homines! At Balbus adificat: <sup>6</sup> *τί γὰρ οὐτὼ μέλει?* Verum si quæris, homini non recta, sed voluptaria quærenti nonne <sup>7</sup> *Βεβίωται?* Tu interea dormis. Jam explicandum est <sup>8</sup> *πρόβλημα*, <sup>9</sup> si quid acturus es. Si quæris quid putem, ego <sup>10</sup> fructum puto. Sed quid multa? jam te videbo; & quidem, ut spero, de via recta ad me. Simul enim & diem <sup>11</sup> Tyrannioni constituemus, & si quid aliud.

CI-

<sup>1</sup> Tamen ] Utitur adversativa particula, ut Atticum falli doceat, dum scriberet, se putare nihil novi Romanam allatum esse, ex quo inde discessisset. *Bosius.*

<sup>2</sup> Murcum ] Quem postea C. Cassius in suas partes tradidit; mox falsis criminibus infamatum Sex. Pompejus, Magni filius, in Sicilia interfecit. *Man.*

<sup>3</sup> Asinium ] C. Asinium Pollionem.

<sup>4</sup> Ibi omnes ] Cæsariani. *Corrad.*

<sup>5</sup> Transacta ] In Africa. Interea inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Cæsar mense Decembri contra Pompejanos, Scipione imperatore bellum renovante, trajecerat. *Manutius.*

<sup>6</sup> *Τί γὰρ οὐτὼ μέλει?* ] Quid enim illi cura est?

<sup>7</sup> *Βεβίωται* ] Præclare *æta vita est.* Nam *Vivere* quandoque valet jucunde vivere. Nonne vides, inquit, Balbo, cum voluptate vitam esse traductam? At tu interea dormis: non explicas quomodo vivendum tibi sit. *Manutius.*

<sup>8</sup> *Πρόβλημα* ] *Questio.* Nimirum diu quæris, utrum recta, an voluptaria sequaris. Hæc tibi questio jam explicanda est; aliquid tibi est decernendum, utram partem eligas. *Idem.*

<sup>9</sup> *Si quid acturus es* ] Qui semper deliberat, & quærit, hoc an illud agat, nihil unquam agit. *Idem.*

<sup>10</sup> *Fructum* ] Hoc est voluptatem, & usuram commodorum. Frui enim absolute positum, est presentibus commodis & voluptatibus uti. Patet ex epistola ad Patrum lib. IX. epist. 27. *Nihil inquit, timeo: spero, dum licet: opto, ut semper liceat.* *Idem.*

<sup>11</sup> *Tyrannioni* ] Grammaticus fuit eruditus, qui librum scripsit, de quo ep. 5. Id docuit Q. Ciceronem filium, ut legitur in epistola ad Q. fratrem, lib. II. ep. 1. De eodem etiam epist. 4. & 8. lib. IV. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum nobis det. Ep. 5. *Idem.*



CICERO ATTICO SAL.

III. **U**NUM te puto minus blandum esse, quam me: & si uterque nostrum est aliquando adversus aliquem, inter nos certe nunquam sumus. Audi igitur me hoc <sup>1</sup> ἀγογγάπης dicentem. Ne vivam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi cateroqui sum libenter, sed <sup>2</sup> μεγάρον ἡσίου tanti sunt, ut sine te sim totos dies. Quare <sup>3</sup> obduretur hoc triduum; ut te quoque ponam in eodem <sup>4</sup> πάλαι: quod ita est profecto. Sed velim scire, hodiene statim <sup>5</sup> de auctione, aut quo die venias. Ego me interea cum libellis. Ac moleste fero <sup>6</sup> Vennonii me historiam non habere. Sed tamen <sup>7</sup> ne nihil de re, <sup>8</sup> nomen illud quod a Cæsare, tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta: (perdere malo: est; præter turpitudinem, hoc ipsum puto esse <sup>9</sup> perdere) aut delegationem a mancipe, annua die; (quis erit, cui credam? aut quando iste <sup>10</sup> Metonis annus veniet?) aut <sup>11</sup> Vætheni conditionem semisse. <sup>12</sup> Σελήμν igitur. Ac vereor, ne iste jam auctorem nullam faciat, sed ludis factis <sup>13</sup> κτύπη subsidio curat, ne talis vir ἀλογόγη. Sed <sup>14</sup> μελήσει.

CL

<sup>1</sup> Ἀγογγάπης ] Sine furo.  
<sup>2</sup> Μεγάρον ἡσίου ] Beatorem insulæ.  
<sup>3</sup> Obduretur hoc triduum ] Ab utroque nostrum. Nam tu quoque in eodem πάλαι, & in eadem molestia es; propterea quod, ut ego te invitavi, ita tu me non libenter careres. *Manutius.*  
<sup>4</sup> Πάλαι ] Affectu, animi motu.  
<sup>5</sup> De auctione ] Post auctorem. *Man.*  
<sup>6</sup> Vennonii ] Vide lib. I. de Leg. c. 2.  
<sup>7</sup> Ne nihil de re ] Supple, scribam.  
<sup>8</sup> Nomen illud quod a Cæsare ] Ciceroni pecuniam debebat proscriptus civis Pompejanus, cujus bona Cæsar cum vellet publicare, permisit ut Cicerò debitum suum exigeret. Ideo dicit Nomen illud quod a Cæsare mihi concessum ut exigam, tribus modis consecui poterò, emptione ab hasta, delegatione a mancipe, & semisse. *Popma.*  
<sup>9</sup> Perdere ] Nam, si dominus commutabitur, quæ de bonis proscriptorum emptæ fuerint, rata non erunt. *Manutius.*

<sup>10</sup> Metonis annus ] Proverbialiter hic dicitur longissima dilatio; ab eo quod Metonis Astronomi annus constabat octodecim annis solaribus. *Popma.*

<sup>11</sup> Vætheni conditionem semisse ] Compendium loquendi sic est integrandum: Aut habeat eam conditionem, qua Væthenus est de pactus, nimirum ut semisse finis contenti; vel dimidia parte. *Grævov. Observ. lib. I. cap. 16.*

<sup>12</sup> Σελήμν ] Considera: quid? hoc videlicet, de tribus conditionibus, quæ tibi magis e re nostra videatur. *Manutius.*

<sup>13</sup> Κτύπη ] Plausus. Sententia hujus loci hæc est: Vereor, ne quia luli Prætoris sume, iste, quicumque sit, advolet eo ad plaudendum, veritus, præsentis signis plausuros, & eos excitatos, ne tam insignis vir, qui ludos dat, negligatur. *J. F. Grævov.*

<sup>14</sup> Μελήσει ] Curabis: curæ erit. *Manutius.*

CICERO ATTICO SAL.

IV. **O** GRATAS tuas mihi jucundasque literas! quid quaeris? restitutus est mihi dies festus. Angebar enim, quod Tiro <sup>1</sup> Διόπευ Δέσπερον te sibi esse visum dixerat. <sup>2</sup> Addam igitur, ut censes, unum diem. Sed <sup>3</sup> de Catone πρόβλημης Ἀρχιμήδειον est. Non assequor ut scribam, quod tui convivæ non modo libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam, si a sententiis ejus dictis, si ab omni voluntate, consiliisque, quæ de Republica habuit, recedam, <sup>4</sup> Ἰδαῶςque velim gravitatem, constantiamque ejus laudare; hoc ipsum <sup>5</sup> ἀκρομυ. fit. Sed vere laudari ille vir non potest, nisi hæc ornata sint; quod ille ea, quæ nunc sunt, & futura viderit, & ne fierent contenderit, & facta ne videret, vitam reliquerit. Horum quid est, quod <sup>6</sup> Aledio probare possimus? sed cura obsecro ut valeas, eamque, quam ad omnes res adhibes, in primis ad convalescendum adhibe prudentiam.

<sup>1</sup> Διόπευ Δέσπερον ] Rubricandivrem.

<sup>2</sup> Addam igitur ] Ad id tempus videlicet, quod hic manere confirmeram. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotiis, quemadmodum in urbe festis diebus fieri solet. *Manutius.*

<sup>3</sup> De Catone ] Catonem, sive librum de Catonis vita scribere est opus difficile non minus quam Archimedis Geometrarum quaestiones explicare; neque enim ita possum scribere, ut Cæsarianos non offendam. Scripsit tamen;

& Cæsar ipse rescriptit Anticato nem, sive contra Ciceronis laudationem Catonis libros duos, ut ex Gellio constat. *Popma.*

<sup>4</sup> Ἰδαῶς ] Teniter, sine ornata.

<sup>5</sup> Ἀκρομυ. ] Auditio jucundam; ad aures oblectandas comparatum.  
<sup>6</sup> Aledio ] Docti viri putant Aledium vocari Cæsarem ficto nomine a Græco verbo Ἀλέω, quasi vitandum, fugiendum, non offendendum. Ego arbitror esse nomen amici & familiaris Cæsaris & item Attici, qui etiam nominatur ep. 24. & 27. *Popma.*

CICERO ATTICO SAL.

V. **Q**UINTUS <sup>1</sup> pater quartum, vel potius millefimam nihil sapit, qui lætetur <sup>2</sup> Luperco filio & <sup>3</sup> Statio, ut

<sup>1</sup> Q. pater ] Haud dubium, quin illud Enniam non respexerit: *Quintus pater quartum sic consul.* Vide Gellium X. 1.

<sup>2</sup> Luperco filio ] Romæ collegia Luperconum tria fuere: antiquiora duo, Fabiano-

rum, & Quintilianorum: tertium recentius Julianorum, quos sibi, ut ait Suetonius, in *Julio, cap. 76.* inter alia humano fastigio majora, Cæsar decerni passus fuerat. Primus admonuit Mongaltus, hic de Julianis agi Luper-



ut cernat duplici dedecore cumulatam domum. Adde etiam Philotimum tertium. O stultitiam, nisi mea major esset, singulararem! <sup>4</sup> Quod autem os in hanc rem ἐράων a te? Fac non ad <sup>5</sup> διψῶσα κελύω; sed ad Περύβωλιν eum venisse; sed ἀμύχανος σερμῶν Ἀλφείας in te κελύω, ut scribis, haurire, in tantis suis præsertim angustiis, πῶς ταῦτ' ἀρ' ἀποσχίσει. Sed ipse viderit. <sup>6</sup> Cato me quidem delectat, sed etiam <sup>7</sup> Bassum Lucilium sua. De <sup>8</sup> Cælio tu quæres, ut scribis: ego nihil novi. Noscenda est <sup>9</sup> natura, non facultas modo. <sup>10</sup> De Hortensio & Virginio, tu si quid dubitabis: etsi quid magis placeat, ego quantum aspicio, non facile inveneris. <sup>11</sup> Cum Mustela, quemadmodum scribis, cum venerit Crispus. <sup>12</sup> Ad

Aulum

percis, in quorum adscribentur collegium, qui placere volebant Cæsari. De M. Antonio notum est, Philipp. II. 34. Affeclavit hoc, ut alii, Quintus Cicero, filiumque Julianos inter Lupercos esse voluit, cum domesticis duobus libertis, Statio suo, & Philotimo Terentia. Improbabat Marcus Cicero fratris consilium, ut dignitatis alienum. *Olivet.*

<sup>3</sup> Statio ] Statio libertus Q. Ciceronis, itaque Philotimus non fuerunt Luperci, sed calatores atque ministri Q. filii in sacerdotio. Non enim liberti ad sacerdotia admittebantur: tantum ministrabant suis patronis sacerdotibus. *Poppa.*

<sup>4</sup> Quod autem os ] Scite Turnebus hæc verba sic distinxit, Quod autem os, in hanc rem ἐράων a te? & interpretatus est: Quæ impudentia est petere a te ἐράων, hoc est, munus aliquod, tanquam stipem, id est, emendicare a te pecuniam, ad eam rem obeundam? *Bosius.*

<sup>5</sup> Διψῶσα ] Fac, inquit, non ad διψῶσα κελύω, siculostum fontem, sed ad Περύβωλιν, Perentem, cum venisse; sed ἀμύχανος σερμῶν Ἀλφείας, respirationem venerandam Ἀλφείας, in te κελύω, fontem haurire: πῶς ταῦτ' ἀρ' ἀποσχίσει, quosum hæc tandem erumpent? Horum autem verborum sententia hæc est; Fac Quintum fratrem, cum a te ἐράων petiit: non ad διψῶσα κελύω venisse, sed ad Περύβωλιν; fac etiam eundem summis angustiis rei familiaris pressum in te haurire κελύω, id est, fontem uberrimum, nempe ἀμύχανος σερμῶν Ἀλφείας, hoc est, Aretusiam, quæ Pindaro est Ἀλφείας respiratione incunda; quo tan-

dem hæc evadent? *Bosius.*

<sup>6</sup> Cato ] Liber de Catonis vita. *Man.*

<sup>7</sup> Bassum Lucilium sua ] Subintelligitur, delectant. Sensus est: Catone meo delector, sed fortasse sine causa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scripso, sua delectant. *Idem.*

<sup>8</sup> Cælio ] Hic nummularius erat, cum coque Cicero agebat de argento aurove facto, aut infecto, cum alio signato commutando. *Bosius.*

<sup>9</sup> Natura ] Naturam vocat auri qualitatem & temperaturam, bonum an malum sit, purum putum & obryzum, an argentosum, orichalcove permixtum & facultatem vero, æstimationem & pretium. Hæc ex pecunia signata nota facile perspicitur. *Idem.*

<sup>10</sup> De Hortensio & Virginio tu ] Hos quoque argentarios puto fuisse. Tu: subaudi quæres: quæres autem hoc, num viri boni sint, & num in auro quod daturum sunt, vitium timere possimus. *Man.*

<sup>11</sup> Cum Mustela ] Ages. Forte Mustela & Crispus coheredes erant. Itaque agi cum Mustela non poterat, nisi & Crispus, eundem hereditatis particeps, adesset. Etiam ep. 3. lib. XIII. De Crispo, inquit, & Mustela videbis. Et velim scire, que sit pars duorum. Quo in loco hereditatem significari manifestum est, cum dicat, Que sit pars duorum. *Idem.*

<sup>12</sup> Ad Aulum scripsi ] Et a Pisono argentario aurum sumere Cicero volebat. Hoc agebatur interpretare Aulo. Et, quoniam res diutius ducebatur; puto quo argentario Pisonum in permutatione faciendi lucro usitato con-

Aulum scripsi, ut ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni <sup>13</sup> demonstrarem. Tibi enim sane assentio, & istud nimium diu duci, & omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio: meisque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi. Sed mecum esse te puto; non solum quod meam rem agis, verum etiam quod videre videor, quo modo agas. Neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota. Tubulum Prætorum video L. Metello, Q. Maximo Coss. Nunc velim, P. Scævola Pontifex maximus, quibus Coss. Tribunus plebis. Equidem puto proximis, Cæpione & Pompejo. Prætor enim P. Furio, Sex. Atilio: dabis igitur Tribunatum, & si poteris, <sup>14</sup> Tubulus quo crimine. Et vide, quæso, L. Libo, ille qui de <sup>15</sup> Ser. Galba, Censorinone, & Manilio, an T. Quintio, M' Acilio Coss. Tribunus plebis fuerit. Conturbat enim me, in Bruti epitoma <sup>16</sup> Fannianorum scriptum quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælii: sed tu me <sup>17</sup> γεμετεκαῖος refelleras: te autem nunc Brutus & Fannius. Ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ obviam. Is ad me Idibus revertetur. Te expectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video: idque ita ut sit, te vehementer rogo. <sup>18</sup> Ergo & in integro omnia: sic enim scribis. Mihi etsi Kalendæ vitandæ fuerunt, <sup>19</sup> Nicasio-

Tom. VIII.

O o o

contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret: Cicero, qui rem ad exitum vellet perducere, ad Aulum scripsit, ut per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentariis permutatione acciperetur, dari seleret, ut scilicet Pisoni, cum videret Ciceroem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, ut præter consuetudinem penderet, æquiora postularet. *Idem.*

<sup>13</sup> Demonstrarem ] Lamb. demonstraret.

<sup>14</sup> Tubulus quo crimine ] Subaudi, accusatus fuerit. Atticum rescripsisse apparet; Quod prætor quætionem exercens inter sicarios, pecunias cepisset ob rem iudicandam.

*Fin. II. 16. Manutius.*

<sup>15</sup> De Ser. Galba ] Supple, ad populum tulit. Epitome Livii, lib. XLIX.

<sup>16</sup> Fannianorum ] Annianum C. Fannii, (de quibus Leg. I. 2.) quos in epitomæ Brutus contraxerat. J. F. Gronovius.

<sup>17</sup> Γεμετεκαῖος ] More geometrico.

<sup>18</sup> Ergo & in integro ] Ergo & Senatui non interfui, & nihilominus omnia mihi in integro sunt apud Cæsarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quamquam Kalendis Romæ non adfuerim, cum senatus habitus est. *Manus.*

<sup>19</sup> Νικασιονικησῶν ] Sic lego, et si alii aliter mutant. Nicasiones erant argentarii.



caſionumque ἀρχέτυπα fugienda, conſciendæque <sup>10</sup> tabulæ nihil tamen tanti, ut a te abeſſem, fuit. Cum Romæ eſſem, & te jam jamque viſurum me putarem: quotidie tamen horæ, quibus expectabam, longæ videbantur. Scis me minime eſſe blandum: itaque minus aliquanto dico, quam ſentio.

tari aut ſeneriores: fortassis ita diſti, quod ceteros in hoc negotiis genere vinceret. Eſt enim Nicæio nomen proprium origine Græcum, apud Cicentem in Verrem. Afranius in fabula Incendio, *Servus eſt mihi Nicæſo ſeleucus, curioſus*. Cæcilius in inſcriptione Comædiæ, cujus teſtimonio No-

nus aliquoties utitur, Botonicatio, quaſi pecuarius, vel pecoris maſtiter. *Αρχέτυπε* vocat *Calendæ* ſeneratorum, in que velut in primigenias tabulas nomina referunt. *Popma*. <sup>20</sup> *Tabula* ] De tabulis loquitur accepti & expenſi, quas quilibet paterfamilias conſciebat. *J. E. Gronov.*

## CICERO ATTICO SAL.

VI. **D**E Cælio vide, quaſo, ne qua <sup>1</sup> lacuna ſit in auro. Ego iſta non novi: ſed certe in collybo eſt detrimenti latius. Huc aurum ſi accedit: ſed quid loquor? tu videbis. Habes <sup>2</sup> Hegeſiæ genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. Ain' tu <sup>3</sup> verum hoc fuit? ſine me? At ego quoties, cum eſſem otioſus, ſine te tamen nolui? quo modo hoc ergo lues? uno ſcilicet, ſi mihi librum miſeris: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Eſti me non magis liber ipſe delectabit, quam tua admiratio delectavit. Amo enim <sup>4</sup> *πυλιδίου*: teque iſtam tam tenuem <sup>5</sup> *Σεωλέω* tam valde admiratum eſſe gaudeo. Eſti tua quidem ſunt ejuſmodi omnia. Scire enim vis: quo uno animus alitur. Sed, quaſo, quid ex iſta acuta & gravi refertur ad <sup>6</sup> *πλάθ*? Sed longa oratio eſt, & tu occupatus in meo quidem fortaffe aliquo negotio; &

<sup>1</sup> *Lacuna* ] Lacuna dicitur eſſe in auro, cum in nummo, qui aureus videtur, aliquid eſt, quod aurum non ſit. Quasi enim lacuna eſt in eo loco, ubi aurum non eſt: translatione ſumpta a fundis, quos lacunæ deteriores faciunt. *Man.*

<sup>2</sup> *Hegeſiæ* ] Quia proxima verba minutatim incidit, ſcribit ſe id feciſſe exemplo Hegeſiæ, cujus dicendi genus fractum erat, & veluti in particulas incifum, ut idem refert in Oratore. Habes, inquit, hoc exempli genus dicendi Hegeſiæ. *Dogus.*

<sup>3</sup> *Verum hoc fuit, ſine me* ] Subaudi, te

legere Tyrannionis librum. Et dixit, *Verum*, pro æquum. *Manutius.*

<sup>4</sup> *Πυλιδίου* ] *Omnia popularem*: hoc eſt, qui vulgaria non ſpernit.

<sup>5</sup> *Σεωλέω* ] *Commentationem*: de arte fortaffe Grammatica, quam Tyrannio profectabat.

<sup>6</sup> *πλάθ* ] *Finem*, ſcilicet bonorum & malorum. Quasi dicat: ut acuta & gravis ſit, quemadmodum tu ſcribis, Tyrannionis iſta *Σεωλέω*, mihi ne ad opus quod molior de bonorum & malorum finibus, aliquam utilitatem afferet?

<sup>7</sup> pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, a te nitidum ſolem, unctumque repetemus. Sed ad prima redeo, Librum, ſi me amas, mitte. Tuus eſt enim proſecto, quoniam quidem eſt miſſus ad te. <sup>8</sup> *Tantumne ab re tua eſt oſii tibi*, ut etiam <sup>9</sup> Oratorem legas? Maſte virtute: mihi quidem gratum, & erit gratius, ſi non modo in libris tuis, ſed etiam in aliorum per librarios tuos <sup>10</sup> *Ariſtophanem* reperueris pro *Eupoli*. Cæſar autem mihi irridere viſus eſt <sup>11</sup> *quaſo* illud tuum, quod erat <sup>12</sup> *εὐπνὲς* & urbanum. Ita porro te ſine cura eſſe juſſit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret.

O o o 2

<sup>7</sup> *Pro iſto aſſo ſole* ] Loci huius ſententiam unus mihi videtur Montanus diſtiſſe; quem lubens ſequar: nec tamen verbum reddam pro verbo. Inter alias corporis curandi artes, hæc adhibebant veteres Græci, Romanique, ut in ſole nudi vel ſederent, vel ambularent, quo frigidis humoribus excoquendis opportunitum ſolis calorem cutis combiberet. *Juvenalis*, XI. 203.

<sup>8</sup> *Noſtra bibat verum contraſta cuticulæ ſolem.*

Eam vocabant *inſolationem*, & *apricationem*. Si corpus ante apricationem oleo perfuderant, hæc dicebant apricationem unctam. Cicero vocat *unctum ſolem*, *nitidumque*: quoniam ſolares radii in cuticulæ meatu inſinuant ſeſe quaſi uncti ac nirentes oleo, quod ſecum vehabant. Si unctura non præceſſerat, aſſa erat & ſicca inſolatio. Nam *aſſum*, auctore Servio in *Georg.* II. 417. eſt *ſiccum*. Propterea *uncto ac nitido ſoli* opponitur *ſol aſſus*. Quorſum autem hic mentio *pratuli*? Quoniam *Dialogus de Claris Oratoribus*, in quo loquitur Cicero, audiente Attico & Bruto, habitus eſt fugitur in pratulo, ubi apricabantur. Lecto amici libro, ſcripſerat, ut videret, Atticus: *iſto ſole* in *pratulo tuo ſum abuſus*: quo ſignificaret, ea ſe lectione magnopere eſſe delectatum: nam *abuſus* eſt uti ad delicias & voluptatem. Reſpondet Cicero in eadem peritans metaphora: qua quid velit, clarius apparebit, ſi referamus animum ad ea, que antecedunt de Tyrannione. Hoc, ni fallor, ex ea, quam commemoras, Tyrannionis commentatione grammatica, quis poteſt mihi fruſtus exiſtere ad eam ſcriptionem, quam mediator *de finibus honorum*? At enim que ad hoc argumentum pertinentia interrogare & ſcire a te volo, plura ſunt, quam ut includi omnia

in epiſtolam poſſit: & cum ans erimus, id agemus pro otium. Tum exigam quod pro illis debes, que a me de Oratoribus, cum in *pratulo* ad ſolem ſederemus, accepisti: faciamaque, ut levia noſtra ac vulgaria, quibus tamen te delectatum eſſe aiſ, utribus multis, que interrogando a te auferam, ſcilicetque dignis remunerer. *Olivetus.*

<sup>8</sup> *Tantumne* ] Alludit ad locum Terentii in *Heautontim*. I. 1. 18.

<sup>9</sup> *Oratorem* ] Librum, quem de perſecto oratore ad M. Brutum Cicero miſit: cujus inſcriptio eſt; *Orator*. *Man.*

<sup>10</sup> *Ariſtophanem* ] *Perſpicuum* eſt, in Oratore ſubintelligi, in quo hæc de Pericle: *Si tenui genere uteretur, nunquam ab Ariſtophane poeta fulgere, tonare, permiffere Græciam dictus eſſet*. Quod Cicero cum Eupoli primum tribuiſſet, poſtea correxit. *Ideam.*

<sup>11</sup> *Quaſo illud tuum* ] Cæſar rogatus ab Attico ut parceret Bathroſis in Epiſto, quærum agri, quod Pompejo ſtuduiſſent, proſcripti erant, ita reſponderat, ut iocaretur in verbo *quaſo*, quo uſus fuerat Atticus, ſive ipſum id improbare tanquam antiquum (nam ſine dubio id verbum ſuperet ex eo quod antiquiſſimi aſſa pro *ava*, *Euſi* pro *Fuſi*, & ſic *quaſo* pro *quero* dixerunt. Poſteriores adamarunt utrumque, & ſignificationibus diſtinxerunt, ) ſive audacius Atticus alia & prioris inveterata terminatione uſus eſſet, ut *quaſere* Plauti, *quaſere* Lucretii, *quaſere*, ut Appulejus. Scripſit autem de analogia Cæſar, & erat exactior Latini ſermonis diligens, ſi non moroſus. Atticus igitur nonnulli dubius, conſulto Cicero nunc cognovi ſcit ludum hunc & iocari eſſe; ſed de te, ſaturum Cæſarem in Attici poteſtate. *J. E. Gronov.*

<sup>12</sup> *εὐπνὲς* ] *Elegans*. *J. E. Gronov.*



ret. Atticam doleo <sup>13</sup> tam diu: sed quoniam jam sine horrore est, spero esse, ut volumus.

<sup>13</sup> *Tam diu* ] Febri laborare. Supra epist. 1. *Manutius*.

## CICERO ATTICO SAL.

VII. QUÆ desideras, omnia scripsi in codicillis, eosque Eroti dedi, breviter, sed etiam plura quam quæris; in us de Cicerone: cujus quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Locutus sum cum eo liberalissime: quod ex ipso velim, si modo tibi erit cummodum, sciscitare. Sed quid differo? Expofui <sup>1</sup> te ex me detulisse, equid vellet, equid requireret: velle Hispaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate, dixi, quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio. De Hispania duo attuli: primum idem, quod tibi, me vereri vituperationem: non satis esse si hæc <sup>2</sup> arma reliquiffemus? etiam <sup>3</sup> contraria? deinde fore ut angeretur, cum a <sup>4</sup> fratre familiaritate, & omni gratia vinceretur. <sup>5</sup> Velim magis liberalitate uti mea, quam sua libertate: sed tamen permisi. Tibi enim intellexeram non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo, atque ut idem facias rogo. Magna res & simplex est manere; illud anceps. Verum videbimus. De Balbo & in codicillis scripseram, & ita cogito, simul ac redierit. Sin ille tardius, <sup>6</sup> ego tamen triduum. Et, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

CI-

<sup>1</sup> *Te ex me detulisse* ] Te ad Ciceronem filium detulisse quod ex me intellexeras, diceret equid vellet, equid requireret. Illud respondisse, velle in Hispaniam ire cum Cæsare contra Pompeii liberos, &c. *Popma*.

<sup>2</sup> *Arma* ] Pompejana. *Manutius*.

<sup>3</sup> *Contraria* ] Subintellige, sequi. *Idem*.

<sup>4</sup> *Fratre* ] Q. Cicerone filio, qui familiarior & gratiosior esset apud Cæsarem, ut pote qui Lupercus in gratiam illius fuisset. *Idem*.

<sup>5</sup> *Velim* ] Volo, ut potius pecuniam a me, quam vult, sumat, quam in Hispaniam eat. Et dicit, *Sua libertate*, quia, & M. Cicero in Hispaniam iuisset, cum id

patri sciret non placere, nimirum liberius agere visus esset. *Idem*.

<sup>6</sup> *Ego tamen triduum* ] Hic maneo. Et dictio, *Tamen*, venuste posita pro *certe*: quia desiderium rusticandi declaratur. Ut hoc dicat: Cum primum Balbus redierit, Romam me conferam: sin ille tardius, ego, quod optavi, tamen assequar, ut hic triduum etiam manere possim. Non licet autem quarundam dictionum occultam vim *quæritur* ostendere: sed, ingenio paulo acutior qui sunt, facile, quod significavimus, intelligunt: cæteris satisfacere neque semper possumus, etiam si velimus; neque, si possumus, semper velle debemus. *Idem*.

## CICERO ATTICO SAL.

VIII. DE Cicerone multis <sup>1</sup> res placet: <sup>2</sup> comes est idoneus. Sed de prima <sup>3</sup> pensione ante videamus. Adest enim dies, & ille currit. Scribe, quæso, quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis, utrum ipse in <sup>4</sup> Fœnicularium, an in Martium campum cogitet. Et sane scire velim nunquid necesse sit comitiis esse Romæ. Nam & <sup>5</sup> Pilia satisfaciendum est, & utique Atticæ.

<sup>1</sup> *Res placet* ] Ut Athenas literarum causa proficiscatur. *Manutius*.

<sup>2</sup> *Comes* ] Montanus, de quo ep. 51. hujus libri, & 16. & 17. lib. XIV. *Idem*.

<sup>3</sup> *Pensione* ] Exigamus primam pensionem dotis a Dolabella, antequam Ciceronem Athenas mittamus. Adest enim dies solutionis, nimirum Kal. Quintiles: & Cæsar ex Hispania reditum accelerat; cui Dolabella obviam ibit. *Popma*.

<sup>4</sup> *Fœnicularium* ] Fœnicularius campus erat in Hispania Bœtica. Græce *μαρμαρα*, vel *μαρμαρα*. Strabo, lib. III. Lipsius, *Elect.* II. 21. Sentus: utrum ipse Celer impetraverit aut provinciam aut procuratoriam aliquam in Hispania a Cæsare, an vero spem urbanis honoris comitiis accipiendi in campo Martio. *J. F. Gronovius*.

<sup>5</sup> *Pilia satisfaciendum* ] In deducendo aliquid candidato. *Corradus*.

## CICERO ATTICO SAL.

IX. NÆ ego essem <sup>1</sup> hic libenter, atque id quotidie magis, ni esset ea causa, quam tibi superioribus literis scripsi. Nihil hac solitudine jucundius, nisi paulum interpellasset <sup>2</sup> Amyntæ filius: <sup>3</sup> ὁ ἀπερρωτολογίος ἀνδρῶν! Cætera noli putare amabiliora fieri posse villa, litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus literis; nec erat quod scriberem; & somnus urgebat.

<sup>1</sup> *Hic* ] In Cumano, ubi Philippus Ciceroni vicinus fuisse cognoscitur. lib. XIII. 51. & XIV. 10. 11. & 12. *Carr.*

<sup>2</sup> *Amyntæ filius* ] Philippus: idque per notam: quoniam Philippus Macedo Amyntæ fuit filius. Illum per notam appellat, ne

viram Cæsaris affinem offendat aperte, cum loquacem vocet. Erat Cæsaris affinis, in Octavii pueri vitricus. Ep. 12. lib. XV. *Idem*.

<sup>3</sup> ὁ ἀπερρωτολογίος ἀνδρῶν ] O loquacitatem insuavem!

CI-



CICERO ATTICO SAL.

X. **M**ALE mehercule de <sup>1</sup> Athamante. Tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. Consolationum autem multæ viæ, sed illa rectissima: impetret ratio, quod dies impetratura est. <sup>2</sup> Alexim vero curamus, imaginem Tironis; quem ægrum Romam remisi; &, si quid habet <sup>3</sup> collis <sup>4</sup> ἐπιδημιον, ad me cum <sup>5</sup> Tifameno transferamus. Tota domus superior vacat, ut scis. Hoc puto valde ad rem pertinere.

<sup>1</sup> Athamante ] Servo, vel liberto mortuo. Corrad.

<sup>2</sup> Alexim ] Ægrotantem. Et hic Attici servus. Epist. 2. lib. VII. Manut.

<sup>3</sup> Collis ] Collis Quirinalis, in quo tua domus est. Idem.

<sup>4</sup> Ἐπιδημιον ] Contagiosum.

<sup>5</sup> Tifameno ] Tifamenus nomen servi Attici, & Regis Lacedæmoniorum undecimi. Nam servi plerique habebant nomina Regum, ut Agamemnon, Alexander, Pelops; & fere omnes Græca, ut illa notissima in comædiis, Strobilus, Anthrax, Davus, & Popma.

CICERO ATTICO SAL.

XI. **M**ALE de Sejo. Sed omnia humana tolerabilia du-cenda. Ipsi enim quid sumus? aut quam diu hæc curaturi sumus? Ea videamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo; quid agamus de Senatu. Et, ut ne quid prætermittam, Cæsonius ad me literas misit: <sup>2</sup> Postumiam Sulpicii domum ad se venisse. De Pompeji Magni filia tibi rescripti nihil me <sup>3</sup> hoc tempore cogitare. Alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti. Nihil vidi fœdus. Sed adsum. Coram igitur.

Obsignata epistola, accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio: <sup>4</sup> commotiunculis <sup>5</sup> συμπράξα.

CI-

<sup>1</sup> Nec tamen multo ] Ut enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen profectus: siquidem omnino respública iacabit. Quod cum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus. Manutius.

<sup>2</sup> Postumiam Sulpicii ] Subintellige, uxorem. Nam veteres sic loquebantur, ut dice-

rent, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicii, Mucia Pompeji, & huiusmodi, Uxor subaudientes. Idem.

<sup>3</sup> Hoc tempore ] Cum Terentiam jam dimisisset, de dicenda uxore Cicero cogitabat. Idem.

<sup>4</sup> Commotiunculis ] Febricula. Corr.

<sup>5</sup> Συμπράξα ] Æque afficior.

CICERO ATTICO SAL.

XII. **D**E dote tanto magis <sup>1</sup> perpurga. Balbi <sup>2</sup> regia conditio est <sup>3</sup> delegandi. Quoquo modo confice. Turpe est rem impeditam jacere. Insula Arpinas habere potest germana <sup>4</sup> ἀποθέων: sed vercor ne minore <sup>5</sup> τιμῆν habe-re videatur. <sup>6</sup> Ἐκτρότοιμῳ est. Igitur animus <sup>7</sup> in hortis: quos tamen inspiciam, cum venero. De Epicuro <sup>8</sup> ut voles; etsi <sup>9</sup> μεθαρμόζομαι in posterum genus hoc personarum. Incredible est quam ea quidam <sup>10</sup> requirant. Ad <sup>11</sup> antiquos igitur: <sup>12</sup> ἀνεμέτητον γὰρ. Nihil habeo ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, ut eliciam tuas literas; non quo aliquid ex his expectem; sed nescio quo modo tamen expecto. Quare siue habes quid, siue nihil habes, scribe tamen aliquid, teque cura.

CI-

<sup>1</sup> Perpurga ] Est, expedi, explica, nempe ut solvatur. J. F. Gronov.

<sup>2</sup> Regia ] Sæpenuero apud Ciceronem regium in malam partem accipitur. Significat enim, non ferendum, quasi tyrannicum; ducta translatione ab odio Romanorum in Reges suos. Conditio ergo regia delegandi Balbi, est dura & iniqua conditio delegandi Balbum. Nam dicebat Dolabella se paratum esse dotem Tullii Ciceroni restituere, modo is veller eam exigere a Balbo; quem ipsi debitorem delegabat. At cum Balbus familiarissimus esset Cæsaris, Romæque plurimum auctoritate posset, difficillime ab eo pecunia exigi poterant. Bosius.

<sup>3</sup> Delegandi ] Scilicet debitoris, qui solvet alii, quod nobis debet, cui nos debemus. Cic. superius, ep. 3. huius libri: Nomen illud quod a Cæsare tres habet conditiones, aut emptionem ab hoste, &c. aut delegationem a mancipio annua die, aut Vestini conditione, semissem. J. F. Gron.

<sup>4</sup> ἀποθέων ] Relationem in Deos. Insula Arpinas, inquit, videri potest ad Tullii ἀποθέων maxime accommodata. Etsi nihil adhuc de ejus morte scriptum est, constat tamen his temporibus ex partu decessisse. Corradus. De hac insula, lib. II. de Leg. cap. 1.

<sup>5</sup> Τιμῆν ] Honorem, celebritatem.

<sup>6</sup> Ἐκτρότοιμῳ ] A via remota. Quod nomen Cicero juxta de viâ ἀποθέωνος ἔχει ἔχει quod insula Arpinas nimis a via distaret & declinaret. Bosius. Vide Turnebi Aduers. XII. 2.

<sup>7</sup> In hortis ] Qui erant circa Romam plurimi: sed Transiberini propter fluminis vicinitatem celeberrimos: itaque hoc maxime voluisset Cicero: unde illud ep. 19. Cogito inservandum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil video, quod tam celebre esse possit. Manutius.

<sup>8</sup> Ut voles ] Cicero hoc tempore scribebat libros de Finibus, in quibus Atticus volebat ut pro Epicuro loquentem induceret aliquem eorum, qui viverent: quod etiam fecit. Induxit enim L. Torquatum Attici familiarum, & Epicureæ sectæ studiosum. Popma.

<sup>9</sup> μεθαρμόζομαι ] Commuto, ad alias personas transfero. Sermo est de Dialogis philosophicis, quos refagebat, & alias personas inducebat, ut in Academicis fecit. Ernestus.

<sup>10</sup> Requirant ] Non possum satisfacere omnibus, qui a me hoc honor affici volunt. J. F. Gronov.

<sup>11</sup> Antiquos ] Id est, eos qui perierunt, inducam loquentes. Manutius.

<sup>12</sup> ἀνεμέτητον γὰρ ] Non enim invidiosum.

<sup>6</sup> Ἐκτρότοιμῳ ] A via remota. Quod nomen Cicero juxta de viâ ἀποθέωνος ἔχει ἔχει quod insula Arpinas nimis a via distaret & declinaret. Bosius. Vide Turnebi Aduers. XII. 2.

<sup>7</sup> In hortis ] Qui erant circa Romam plurimi: sed Transiberini propter fluminis vicinitatem celeberrimos: itaque hoc maxime voluisset Cicero: unde illud ep. 19. Cogito inservandum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil video, quod tam celebre esse possit. Manutius.

<sup>8</sup> Ut voles ] Cicero hoc tempore scribebat libros de Finibus, in quibus Atticus volebat ut pro Epicuro loquentem induceret aliquem eorum, qui viverent: quod etiam fecit. Induxit enim L. Torquatum Attici familiarum, & Epicureæ sectæ studiosum. Popma.

<sup>9</sup> μεθαρμόζομαι ] Commuto, ad alias personas transfero. Sermo est de Dialogis philosophicis, quos refagebat, & alias personas inducebat, ut in Academicis fecit. Ernestus.

<sup>10</sup> Requirant ] Non possum satisfacere omnibus, qui a me hoc honor affici volunt. J. F. Gronov.

<sup>11</sup> Antiquos ] Id est, eos qui perierunt, inducam loquentes. Manutius.

<sup>12</sup> ἀνεμέτητον γὰρ ] Non enim invidiosum.



## CICERO ATTICO SAL.

XIII. **C**OMMOVET me Attica; etsi assentior Cratero. Bruti literæ, scriptæ & prudenter, & amice, multas mihi tamen lacrymas attulerunt. Me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas. Te unum desidero; sed literis non difficilium utor, quam si domi essem. Ardor tamen ille idem urget & manet, non mehercule indulgente me, sed tamen non repugnante. Quod scribis de Apulejo, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihique etiam jussérat nuntiari, se molestum omnino non futurum. Sed cura ut excuser morbi causa in dies singulos. Lænas hoc receperat. Prende C. Septimium, L. Statilium. Denique nemo negabit se juraturum, quem rogaris. Quod si erit durius, veniam, & ipse perpetuum morbum jurabo. Cum enim mihi cendum sit conviviis, malo id lege videri facere, quam dolore. Coccejum velim appelles: quod enim dixerat, non facit: Ego autem volo aliquid emere latibulum, & perfugium doloris mei.

<sup>1</sup> Cratero ] Medico affirmanti nobis de Attica morbo nihil gravius timendum esse: etiam si illo diutius reneretur. *Peppa.*

<sup>2</sup> Ardor ] Dolor ob mortem Tulliz.

<sup>3</sup> Molestum ] Ut Romam irem ad cenam auguralem: quam ipse parat, in augurum collegium coopertus. *Manut.*

<sup>4</sup> Morbi causa ] Gellius, XX. 1.

<sup>5</sup> Prende ] Ut cum Lænate me apud Apulejum excules. *Idem.*

<sup>6</sup> Mælo id lege ] Ut homines, inquit, non propter dolorem amiffæ filiz, sed propter invaleudinem conviviis me carere suspicentur. Nam, si amicorum gratia impetraret; incertum fuisset, utrum id morbi causa faceret, an doloris. Dolorem autem celare volebat: itaque de morbo jurando cogitabat. *Idem.*

<sup>7</sup> Appelles ] De pecunia, quam nobis dederat. *Epist. 18. & 19. Idem.*

## CICERO ATTICO SAL.

XIV. **D**E me excusando apud Apulejum dederam ad te pridie literas. Nihil esse negotii arbitror. Quemcumque appellaris, nemo negabit. Sed Septimium vide, & Lænatem, & Statilium: tribus enim opus est: sed mihi

Læ-

<sup>1</sup> Tribus enim opus est ] Testibus, qui jurent me morbo laborasse. *Corradus.*

Lænas totum receperat. Quod scribis a Junio te appellatum: omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire velim quando dicar spondisse, & pro patre, anne pro filio: neque eo minus, ut scribis, procuratores Cornificii; & Apulejum pradiatorem videbis. Quod me ab hoc mœrore recreari vis, facis, ut omnia: sed me mihi non defuisse, tu testis es: nihil enim de mœrore minuendo scriptum ab ullo est; quod lego non domi tuæ legerim: sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolaret. Quem librum ad te mittam, si descriperint librarii. Affirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo: non quo proficiam quid; sed tantisper impedior, non equidem satis: vis enim urget: sed relaxor tamen; omniaque nitor, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum; idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adjuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses: quæ mihi una causa est hinc discedendi. Nam pro malis recte habebat. Quamquam ipsum doleo: non enim jam in me idem esse poteris. Perierunt illa, quæ amabas. De Bruti ad me literis scripti ad te antea: prudenter scriptæ: sed nihil quo me adjuvarent. Quod ad te scriptit, id vellem ut ipse adesset: certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adjuvaret. Quod si quid scies, scribas ad me velim; maxime autem, Panfa quando. De Attica, doleo: credo tamen Cratero. Piliam angustia: satis solitudo mœrere pro omnibus.

<sup>2</sup> Junio ] Junius Atticum appellaverat, & quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronem si-  
<sup>3</sup> Librum ] Cujus extant fragmenta, & auctura quidem, Tomo nostro III  
bi debere dicens, quod pro Cornificio spon-  
dississet. Cicero spondionis tempus non re-  
cordatur, & ait Cornificium posse ipsum sol-  
vere. Sponsus enim, id est fidejussor, appel-  
latur. *Idem.*  
<sup>4</sup> Doleo ] Cupio, inquit, tecum esse.  
Quod ipsum tamen doleo. Non enim eum  
me, quem soles, videbis. *Man.*  
<sup>5</sup> Quando ] Roma proficiatur, in Gal-  
lari non poterat, si locuples reus esset, ex-  
liam iturus, ut Bruto succedat. *Idem.*  
<sup>6</sup> Cratero ] Vide superiorem epist.  
Consi. *Just. Manut.*



CICERO ATTICO SAL.

XV. **A**PUD Apulejum, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser videbis. In hac solitudine careo omnium colloquio; cumque mane me in silvam abstrusi densam & asperam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te, nihil est mihi amicus solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum literis. Eum tamen interpellat fletus: cui repugno quoad possum: sed adhuc pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam. Eas literas cras habebis. Cum erit cui des, dabis.

CICERO ATTICO SAL.

XVI. **T**E tuis negotiis relistis nolo ad me venire: ego potius accedam, si diutius impedire. Etsi ne discessissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adjuvaret. Quod si esset aliquod levamen, id esset in te uno: & cum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. Nunc tamen ipsum sine te esse non possum. Sed nec tuæ domi probabatur, nec meæ poteram: nec si propius essem uspiam, tecum tamen essem. Idem enim te impediret, quo minus mecum esses, quod nunc etiam impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine: quam vereor ne Philippus tollat: heri enim vesperi venerat. Me scriptio & literæ non leniunt, sed obturbant.

CICERO ATTICO SAL.

XVII. **M**ARCIANUS ad me scripsit, me excusatum esse apud Apulejum a Laterensi, Nasone, Lænate, Torquato, Strabone. Iis velim meo nomine reddendas literas curres, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me ab hinc amplius annis xxv spondisse dicit Flavius; etsi locu-

<sup>1</sup> *Res* ] Is, pro quo spondendi. Hoc enim *Res* aliquando significat. *Manu*.

locuples est, & Apulejus prædiator liberalis; tamen velim des operam, ut investigates ex consponsorum tabulis, si ne ita. Mihi ante enim ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Potest tamen fieri: sed scire certum velim; & appelles procuratores, si tibi videtur. Quanquam quid ad me? veruntamen. Pansæ professionem scribes cum scies. Atticam salvere jube, & eam cura, obsecro, diligenter. Piliæ salutem.

<sup>2</sup> *Veruntamen* ] Subaudi, appelles procuratores. Locutio Ciceroni familiaris. *Item*.

CICERO ATTICO SAL.

XVIII. **D**UM recordationes fugio, quæ quasi morfu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo. Quod velim mihi ignoscas, cuiusmodi est. Etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectro, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod sæpe tecum egi, & quod a te approbari volo. De sano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluati: neque de re; statutum est enim: de loco nonnunquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditus fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum, ab omnium ingenis scriptorum, & Græcorum & Latinorum: quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sed jam quasi voto quodam, & promisso me teneri puto; longumque illud tempus, cum non ero, magis me movet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. Habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. Nam, dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fovebam dolores meos. Nunc omnia respicio; nec quicquam habeo tolerabilius, quam solitudinem: quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus. Nam, ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat,

P P P 2 scri-

<sup>1</sup> *Admonendo* ] De, sano, quod erigere mortuæ filie volo. *Manu*.

<sup>2</sup> *Cluati* ] Placet mihi sanum ea forma, quæ Cluatus descripsit. Videtur autem Clu-

tius hic architectus fuisse, aut certe huius generis intelligens. Quod etiam infra apparet, ep. 35. *Item*.

<sup>3</sup> *De loco* ] Supple, dubito.



scripsi, misi ad te. Carabis cum tua perferendam. Ejus tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres. Domestica quod ais ordine administrari, scribes quæ sint ea. Quædam expecto. Coccejus vide<sup>4</sup> ne frustretur. Nam Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, non incertum puto.<sup>5</sup> De forte mea Sulpicio confido, & Egnatio scilicet. De Apulejo quid est quod labores, cum sit excusatio facilis? Tibi ad me venire, ut ostendis, vide ne non sit facile: est enim longum iter, discedentemque te, quod celeriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. Sed omnia, ut voles: ego enim, quidquid feceris, id cum recte, tum etiam mea causa factum putabo. Heri cum ex aliorum literis cognovissem de Antonii<sup>7</sup> adventu, admiratus sum nihil esse in tuis. Sed erant pridie fortasse scriptæ, quam datæ. Neque ista quidem curo. Sed tamen opinor propter prædes suos accurrerisse. Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade, me isthæc non curare, neque esse quidquam aut parvæ curæ, aut novæ loci. Sed tamen quid simile? Illa eos non adhibuit, quos existimavit quaesituros, nisi scissent, quid esset. Num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa quod ego: dabo meum testamentum legendum cui voluerit: intelliget, non potuisse honorificentius a me fieri<sup>8</sup> de nepote, quam fecerim. Nam quod non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attulit. Tute scis, (si modo meministi) me tibi tum dixisse,

ut

4 Ne frustrerur ] Ne non solvatur, quod se esse soluturum dixit. Ep. 10. Idem.

5 Non incertum puto ] Non dubito, quin pecuniam nobis numeret. Idem.

6 De forte ] Hoc est, de ipso fenore seu capite; pro quo Sulpitius & Egnatius sponderunt. J. F. Gronov.

7 Adventu ] Significatur istud tempus, quo M. Antonius Roma profectus ut Hispaniam ad Casarem iret, deinde mutato consilio reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, & nocte urbem introivit. Cujus festinationis maximo causa fuit, quod, cum tempus jam adesset ejus pecuniam solvenda, quam pro emptis in autione Ca. Pompeji bonis Casar-

ri debebat, verebatur, ne, ipso absente, prædes sui venderentur. Manutius.

8 De nepote ] De Lentulo filio Dolabella & Tullii, de quo sic epistola 26. hujus libri: Ex vestris aliquando, cum erit tuius cotinuum, Lentulum puerum vestrum, Cæterum ei puero Cicero summum honorem habuerat, quod eum heredem aliqua ex parte institueret in primis tabulis, aut certe in ima cæra. Bosius.

9 Quod non advocavi ] Amicos & ornatos viros: sed domesticos contentus sui præter Silium & Publilium. J. F. Gronov.

ut, de tuis aliquos adduceres. Quid enim opus erat multis? equidem domesticos jusseram. Tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium: inde est natum, ut ad Publilium. Sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis ut tibi videret.

## CICERO ATTICO SAL.

XIX. EST hic quidem locus amœnus, & in mari ipso, qui & Antio, & Circæis aspici possit: sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, (si modo hæc stabunt) illud, quasi consecratum, remanere possit. Equidem jam nihil ego<sup>2</sup> vestigalibus, & parvo contentus esse possum. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc causam maxime: nihil enim video, quod tam celebre esse possit; sed quos coram videbimus; ita tamen, ut hac æstate sanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice<sup>3</sup> columnis. De Coccejo & Libone quæ scribis, approbo; maxime, quod<sup>4</sup> de judicatu meo. De sponso si quid prospexeris; & tamen quid procuratores Cornificii dicant, velim scire; ita ut in ea re te, cum tam occupatus sis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbaret. Illis egi gratias. Te tamen, ut jam ante ad te scripsi, scire volo, me neque isto nuntio esse perturbatum, nec jam ullo perturbatum iri. Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac jam incipito scribere ad me, de Bruti adventu quid expectes, id est, quos ad dies.

1 Hic ] Astura Insula. Infra, ep. 40.

2 Vestigalibus ] Vestigali hic sunt redditus & pensiones quæ ex fundis & possessionibus capiuntur. Poppo.

3 Columnis ] Quibus ad sanum utemur; ne exæta adventum meum, sed confice: id est, transige cum Apella Chio; eme eas ab Apella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat, & Chio marmores, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. Quod si e Chio marmore, sequitur ut eas maxime voluerit, quæ maculis essent

versicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem sani. Nam hujus generis columnas reliquis fuisse firmiores, scribit Plinius lib. XXXVI. cap. 6. Manut.

4 De judicatu ] Id est, de meo officio judicandi, ne propter id Romæ esse me necesse sit. Vox judicatur in hac sententiam extat. Phil. I. cap. 8. J. F. Gronovius.

5 De sponso ] Vide supra, epist. 17.

6 Ne perturbaret ] Quod Antonius repente adventu noctu urbem introisset. Ep. 18. & 20. Manut.



dies . Id , si scies ubi jam sit , facile conjectura assequere . Quod ad Tironem de Terentia scribis , obsecro te , mi Attice , suscipe totum negotium . Vides & officium agi meum quoddam , cui tu es conscius , & , ut nonnulli putant , Ciceronis rem . Me quidem <sup>7</sup> id multo magis movet , quod mihi est & sanctius , & antiquius ; præsertim cum hoc alterum neque sincerum , neque firmum putem fore .

<sup>7</sup> Id ] Officium scilicet . Nam quod Terentia de filii te cogitet , neque sincerum , neque firmum puta .

## CICERO ATTICO SAL.

XX. **N**ONDUM videris perspicere , quam me nec Antonius commoverit , nec quidquam jam ejusmodi possit commovere . De Terentia autem scripsi ad te iis literis , quas dederam pridie . Quod me hortaris , idque a cæteris desiderari scribis , ut dissimulem me tam graviter dolere ; possumne magis , quam quod totos dies consumo in literis <sup>2</sup> quod etsi non dissimulationis , sed potius leniendi , & sanandi animi causa facio : tamen si mihi minus proficio , simulatione certe facio satis . Minus multa ad te scripsi , quod expectabam tuas literas ad eas , quas ad te pridie dederam . Expectabam autem maxime de sano , nonnihil etiam de Terentia . Velim me facias certiorum proximis literis , Cn. Cæpio , Serviliæ Claudii pater , vivone patre suo naufragio perierit , an mortuo ; item Rutilia vivone C. Cotta , filio suo , mortua sit , an mortuo . Pertinent ad eum librum , quem de luctu minuendo scripsimus .

## CICERO ATTICO SAL.

XXI. **L**EGI Bruti epistolam , eamque tibi remisi , sane non <sup>1</sup> prudenter rescriptam <sup>2</sup> ad ea , quæ requisieras .

<sup>1</sup> Prudenter ] Optime Balliolensis , prudenter , hoc est , non satis modeste . *Grævius* .  
<sup>2</sup> Ad ea , quæ requisieras ] *Est* quæ quod-

dum M. Brutus conscripserat ; ut opinor , in Catonis laudem ; ( hanc enim conjecturam duco ex iis , quæ proxime sequuntur ) idque Atti-

Sed ipse viderit : quanquam illud turpiter ignorat . Catonem primum sententiam putat <sup>3</sup> de animadversione dixisse ; quam omnes ante dixerant , præter Cæsarem : & cum ipsius Cæsaris tam severa fuerit , qui tum Pratorio loco dixerit , Consularium putat leniores fuisse , Catuli , Servilii , Lucullorum , Curionis , Torquati , Lepidi , Gellii , Volcatii , Figuli , Cotta , L. Cæsaris , C. Pisonis , etiam M' Glabronis , Silani , Murenæ , designatorum Consulium . Cur ergo <sup>4</sup> in sententiam Catonis ? quia verbis luculentioribus , & pluribus rem eandem comprehenderat . Me autem hic laudat , quod retulerim , non quod patefecerim , quod cohortatus sim , quod denique ante , quam consulerem , ipse judicaverim . Quæ omnia , quia Cato laudibus extulerat in cælum , perscribendaque censuerat ; idcirco in ejus sententiam est facta discessio . Hic autem se etiam tribuere multum mi putat , quod scripserit , *optimum consulem* . Quis enim se junius dixit inimicus ? Ad cætera vero tibi quemadmodum rescripsit ? tantum rogat de senatus-consulto ut corrigas . Hoc quidem fecisset etiam si a <sup>5</sup> Rano admonitus esset . Sed hæc iterum ipse viderit . De hortis , quoniam probas , effice aliquid . <sup>6</sup> Rationes meas nosti . Si vero etiam a Faberio <sup>7</sup> recedit , nihil negotii est : sed etiam sine eo posse videor contendere . Venales certe sunt Drusæ ; fortasse & Lamiani & Cassiani : sed coram . De Terentia non possum commodius scribere , quam tu scribis . Officium sit nobis antiquissimum . Si quid nos fefellerit , illius malo me , quam mei poenitere . <sup>8</sup> Oviæ C. Lollii curanda sunt H-S c. Negat Eros posse sine me ; credo , quod accipienda aliqua sit , & danda

<sup>8</sup> æsti-

Attico legendum , & judicandum miserat . Atticus , respondens , cum quedam minus probaret , eorum rationem a Bruto requisivit . Ille nihil ad ea : tantum Atticum rogavit , ut , si quid incertius de S. C. in Catonis sententiam factum protulisset , id corrigeret . *Manut.*

<sup>3</sup> De animadversione ] De puniendis iis , qui cum Catilina conjuraverant . *Idem* .  
<sup>4</sup> In sententiam Catonis ] Subintelligitur , est facta discessio . *Idem* .

<sup>5</sup> Rano ] Quem voluit fuisse scribam .  
<sup>6</sup> Rationes meas ] Meas facultates . *Manutius* .

<sup>7</sup> Recedit ] Manutius in hoc verbo invidiosum esse suspicatur , ac fortasse legendum , *ves cedit* . Lamb. reponit , *aliquid procedit* . Lipsius , a *Faberio receditis* , id est , aufers ; lib. IV. *Ant. Leß.* cap. 19.

<sup>8</sup> Oviæ C. Lollii ] Subauditur , uxoris . Figura antiqua , & optimis scriptoribus usitata . *Manut.*



estimatio. Vellem tibi dixisset: si enim res est, ut mihi scribit; parata, nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit. Id cognoscas, & conficias velim. Quod me in forum vocas; eo vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. Quid enim mihi cum foro sine iudiciis, sine curia, in oculis incurrentibus iis, quos æquo animo videre non possum? Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romam sim, neque mihi ut absim concedere, aut quatenus eos mihi concedere: jam pridem scito esse, cum unum te pluris, quam omnes illos, putem. Ne me quidem contemno: meoque iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. Neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis ægroti; accipere medicinam; sed in mea etiam scripta transfusi; quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare; ne recidam.

<sup>9</sup> *Estimatio*] Cæsar, pulso ex Italia Pompejo, cum Romam revertisset, fideique tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solvèrentur, constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent estimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque ex creditoribus traderentur.

Hinc est, quod Cicero, interdum dicit *Accipere estimationem*, pro accipere a debito re possessionem; aut rem, lege Cæsaris estimatam. *Idem.*  
<sup>10</sup> *Aut quatenus eos mihi concedere*] Puto verba illa esse iniustitia & delenda. *Grevius.*

## CICERO ATTICO SAL.

XXII. **D**E Terentia, quod mihi omne onus imponis; non cognosco tuam in me indulgentiam. Ista enim sunt ipsa vulnera, quæ non possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur, quæso, ut potes. Neque enim a te plus, quam potes, postulo: potes autem, quid veri sit, perspiciere tu unus. De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad me, cum scies. Sed quam primum; & num Clodia D. Bruto Consulari filio suo mortuo vixerit. Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest; illud autem de

<sup>1</sup> *Rutilia*] Vide supra, epist. 20.

de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis etiam atque etiam te rogo. Omnibus meis, eorumque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus (sed potero meis) enitendum mihi est. Sunt etiam quæ vendere facile possum: sed, ut non vendam, eique usuram pendam, a quo emero, non plus annum, possum assequi, quod volo, si tu me adjuvas. Paratissimi sunt Drusi: cupit enim vendere. Proximos puto Lamiæ: sed abest. Tu tamen, si quid potes, odorare. Ne Silius quidem quidquam utitur, & is usuris facillime sustentabitur. Habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid velim, & cur velim, existima.

<sup>2</sup> *Ut non vendam*] Sunt, inquit, que non invito possum vendere, ut habeam unde hortos emam. Sed, si tu me adjuvas, possum assequi, quod volo, ut nihil vendam, eique, a quo emero, usuram tantummodo annuam pendam. *Man.*

<sup>3</sup> *Non plus annum*] Tale illud est ep. 6. lib. VI. *Nunq. est hoc, non plus annum obtinere provinciam?* Dixisset etiam eleganter, Non plus annuum. *Idem.*

<sup>4</sup> *Si tu me adjuvas*] Si tuo studio consequi potes, ut pecuniam ab iis, qui debent,

exigamus. Hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam & diligentiam pertinet. Et refertur ad illud, *Possum assequi*. *Idem.*

<sup>5</sup> *Paratissimi*] Horri. *Idem.*

<sup>6</sup> *Sustentabitur*] Facile tanquam dives usuris tibi patietur satisfacere, dilata fortis solutione. *Grevius.*

<sup>7</sup> *Habe tuum negotium*] Existima tuum esse negotium. Hac res tibi curæ sit, item ut si tua res esset. Genus loquendi perelegans: quo & infra utitur, lib. XIV. epist. 2. *Manus.*

## CICERO ATTICO SAL.

XXIII. **P**UTARAM te aliquid novi; quod ejusmodi fuerat initium literarum; quamvis non curarem quid in Hispania fieret, tamen te scripturum: sed videlicet meis literis respondisti, ut de foro, & de Curia. Sed domus est, ut ais, forum. Quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, postea quam unum, quo tenebamur,

<sup>1</sup> *Quamvis*] Atticus proximis literis ita scripserat Cicero: *Quamvis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus*. Itaque putavit se Cicero in iis literis aliquid novi de Hispania esse reperiturum, &c. *Manus.*

<sup>2</sup> *De foro*] Supra, epist. 21.

<sup>3</sup> *Domus est*] Scripserat Atticus: cum Romæ eris, si versari in foro non libebit, at domi esse poteris, quæ tibi erit pro foro. Ita & iis satisfacies, qui a te postulant ut Romæ sis, & assequeris quod tu vis, ut forum ne frequentes. *Manus.*

<sup>4</sup> *Unum*] Tulliam. *Corrad.*



bamur, amissimus. Itaque solitudines sequor: & tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero (potero autem) ut<sup>5</sup> prater me nemo dolorem meum sentiat: si ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam<sup>6</sup> illa causa est non veniendi. Meministi, quid ex te<sup>7</sup> Aledius<sup>8</sup> quaesierit: quin etiam nunc molesti sunt: quid existimas, si venero? De Terentia ita cura ut scribis; meque hac ad maximas agritudines accessione nunc maxima libera. Et ut scias me ita dolere, ut non jaceam: quibus Consulibus<sup>9</sup> Carneades, & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nunc quaero, quæ causa fuerit: de Oropo, opinor; sed certum nescio: &, si ita est, quæ controversiæ<sup>10</sup> præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis; qui etiam Athenis<sup>11</sup> πολιτικοί fuerint illustres: quæ te etiam ex<sup>12</sup> Apollodori puto posse invenire. De Attica molestum; sed quoniam leviter, recte esse confido. De Gamala<sup>13</sup> dubium mihi non erat: unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quæ volo, levare non possum? De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram, &, ut opinor, heri ad te scripseram: sed quanti quanti, bene emittur quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim ego ipse, quid de me existimem) levatio quædam est, si minus, doloris, at<sup>14</sup> officii debiti. Ad Sicam scripsi, quod utitur L. Cotta. Si nihil conficeretur de Transiberinis, habet in Ostiensis Cotta celeberrimo loco, sed pullum loci. Ad hanc<sup>15</sup> rem tamen plus etiam fatis. Id velim

<sup>5</sup> Præter me ] Omnino, ut opinio mea fert, aptius quiddam, & concinnius accesserit ad fontentiam, si legatur, Præter te. Manutius.

<sup>6</sup> Illa ] Quæ proxime sequitur. Idem.  
<sup>7</sup> Aledius ] Cæsarianus nescio quis, qui Romæ tunc erat, ep. seq. cum Cæsar esset in Hispania. Corrad.

<sup>8</sup> Quaesierit ] Ut in senatum venire, & ipsorum de Republica consilii vellet interesse. Manut.

<sup>9</sup> Carneades ] Vide Orat. II. 27.

<sup>10</sup> Πολιτικοί ] Reipublicæ moderatores.

<sup>11</sup> Apollodori ] Subaudi, libris: figura

Græca, quæ Cicero etiam alibi usus est, ut cum dixit, ad Mæceli, in Scappole, per Locusta. Subintelligitur enim, adeni, horary, fundam. Manut.

<sup>12</sup> Dubium ] Subintellige, quia ex eo morbo moriturus esset. Idem. Gamala: alii, Magala: nomen utrumque incognitum. Sed videtur fuisse Liguri filius aut filia; nam sequitur; Unde tam felix esset pater? Anonymus.

<sup>13</sup> Officii debiti ] Quasi ex voto, & promisso. Vide epist. 18.

<sup>14</sup> Rem ] Fanum extruendam. Man.

lim cogites, nec tamen ista pretia hortorum pertinueris. Nec mihi jam argento, nec veste opus est, nec quibusquam amoenis locis: hoc opus est. Video etiam, a quibus adjvari possim. Sed loquere cum Silio: nihil enim est melius. Mandavi etiam Sica. Rescripsit, constitutum se cum eo habere. Scribat igitur ad me, quid egerit,<sup>15</sup> &, ut tu videbis.

<sup>15</sup> Et, ut tu ] Latet aliquid vitii. Foete: Scribat igitur ad me quid egerit: ut quanti, tu videbis. Grævius.

## CICERO ATTICO SAL.

XXIV. **B**ENE fecit A. Silius, qui transegerit: neque enim ei deesse volebam, &, quid possem, timebam. De<sup>1</sup> Ovia confice, ut scribis. De Cicerone tempus esse jam videtur. Sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutare possit, an ipsi ferendum sit; de totaque re quemadmodum, & quando placeat, velim consideres. Publius ituruse sit in Africam, & quando, ex Aledio scire poteris: quaeras, & ad me scribas velim. Et ut ad meas ineptias redeam, velim me certiore facias, P. Crassus, Venulejæ filius, vivone P. Crasso Consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post. Item quaero de Regillo,<sup>2</sup> Lepidi filio, rectene meminerim, patre vivo mortuum.<sup>3</sup> Cispiana explicabis, itemque Pratiana. De Attica optime sit. Ei salutem dices, & Pilia.

<sup>1</sup> Neque enim ] Bene fecit Silius, qui decidit de lite quam cum nescio quo habebat. Constitueram enim ei praesio esse ut ad-  
<sup>2</sup> Lepidi ] Consulis cum Q. Catulo.  
<sup>3</sup> Cispiana, & Pratiana explicabis ] Notateare possent, ut amissa solitudine quam femina, hoc est, debitam mihi a Cispio, & quor, me turbæ darem, & Romam veni-  
Præzio pecuniam. Manut.

## CICERO ATTICO SAL.

XXV. **S**CRIPSIT ad me diligenter Sica de Silio, seque ad te rem detulisse: quod tu idem scribis. Mini & res & conditio placet, sed ita, ut numerato<sup>1</sup> malim, quam

Q q q 2

<sup>1</sup> Malim ] Malim emere hortos præfenti pecunia, quam dare in solutum aliquam rem æstimatam ex lege Julia. Bos.